

Hos contra, Christo qui suffurantur honorem,  
Templaq<sup>3</sup>, blasphemi rumpunt clamoribus oris,  
Tellurem caelo miscentes, aethera terris;  
Vno Christicolas vno omnes ordine habentes,  
Omnibus infesti pariter, quicumq<sup>2</sup> magistrum  
Agnoscent solum, doctorem patris Iesum.  
Causa Dei est, AUGVSTE, Dei tu suscipe causam:  
Neu dubita, euentum rebus feret ille secundum.

Hoc decet officium proceres, haec munera cunctis  
Imposuit, quibus ipse suum haud inuidit honorem,  
Arbitriumq<sup>3</sup>, Deus tribuit vitaeq<sup>3</sup>, necisq<sup>3</sup>.  
Hoc pietas tua poscit opus, qua didita terris,  
Solis utramq<sup>3</sup> domum, fama celebrante, repleuit.  
Hoc exempla iubent veterum praecleara regentum,  
Vita mea quorum stabat contenta salute,  
Quod se membra mei censerent corporis, atq<sup>3</sup>  
Non possent odisse suam mea portio carnem.  
Hoc desiderium, communia vota piorum  
Exposcunt: votis desiderioq<sup>3</sup> piorum  
Cede locum: potior neute, fac, cura moretur,  
Nec tardet paci aduersum genus atq<sup>3</sup> quieti,  
Nil nisi bella crepans, animamq<sup>3</sup>, necemq<sup>3</sup> piorum.  
Sic meriti monumenta tui, laudesq<sup>3</sup> manebunt,  
Dum